

_Lettera_N_2031

Al papa Pio IX

Beatissime Pater,

Datum Taurini, die 18 novembris 1874

Joannes Bosco sacerdos ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus suppliciter exponit Salesianam Congregationem relaxandi litteras dimissorias a Bonitate Tua facultate donatam fuisse juxta Clementis VIII Decretum, in quo haec leguntur: Superiores Regulares litteras dimissorias concedere possunt ad Episcopum Dioecesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia regularis ab iis, ad quos pertinet, positus fuerit. Die 15 Martii 1595.

Ex his verbis videtur aliquod tempus requiri ut ordinandus alicujus dioecesis dici possit. Proposito inde dubio: per quantum temporis Regulares commorari debeant ut diei possint ad hujusmodi familiam spectare; Sacra Congregatio respondit: Providebitur in casibus particularibus proponendis. Die 8 Augusti 1692.

Rebus sic stantibus circa Episcopum regularis ordinandi nonnullae difficultates exortae sunt, quae omnes censerentur eliminatae si Sanctitas Tua indulgere dignetur, ut Salesianae Congregationis Superior litteras dimissoriales pro suis subditis concedere valeret ad quemcumque Episcopum in cujus Dioecesi aliqua Salesiana domus extet.

Hoc enim singulare beneficium praecipue quatuor ob rationes postulatur: 1° Ut dubium tollatur circa moram in dioecesi Episcopi ordinantis.

2° Ut sociis nostris facilius via aperiatur ad ordines suscipiendos eo quod plures domus in diversis dioecesibus habeantur.

3° Eo magis nunc temporis cum agatur de domibus atque missionibus, quae in dissitis atque exteris regionibus sunt aperiendae.

4° Ut tandem tollantur nonnullae difficultates, propter quas Ordinarius quidam tribus ab hinc annis Salesianos ad Ordines admittere recusat. Supplex Apostolicam Benedictionem petit supra omnes Salesianos, dum nomine omnium humiliter me subscribo

Joannes Bosco sacerdos Sup. Gen. Salesianae Cong.